

D I S S E R T A T I O

INAUGURALIS MEDICA

DE

**ISCHIADE NERVOVA
COTUNNII**

QUAM

ANNUENTE INCL. FACULTATE MEDICA

IN

R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

AD RITE CONSEQUENDUM

MEDICINAE DOCTORIS GRADUM

CONSCRIPSIT

GABRIEL FLEISCHER,
HUNGARUS SÁROSIENSIS.

Theses adnexae publice disputabuntur in Palatio R. Sc.
Universitatis majori die mensis Junii 1834.

PESTHINI,

TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

341

Vita quid est? mors est, stabili valetudine demta :
Illam qui dare vult: hanc stabilire debet.
Carius in mundo nihil est, quam florida vita:
Qui dedit hanc, merito maxima dona dedit.

SPECTABILI AC GENEROSO

DOMINO

THOMAE SENIORI DESSEWFFY

DE CSERNEK ET TARKÓ etc. etc.

IN PERPETUUM

PROFUNDÆ VENERATIONIS ET GRATITUDINIS

MONUMENTUM

devinctissimus
ductor.

P r a e f a t i o.

In Clinico academico Pestiensi fuit mihi occasio aegrum Ischiade nervosa adfectum, observandi; ideo cum lex academica jubeat, ut singulus, qui *Doctoratus medici lauream* adspirat, de materia quapiam ex scientia medica deprompta tractatum conscribat, de hoc morbo, raro quidem, sed satis gravi, disserere constitui. Nec tamen quis existimet me aliqua inaudita et nova proferre velle. Quae enim hic brevibus dicam, cum plurimis aliorum superbire non placet, fateor esse observata virorum in arte hac peritissimorum, quae mihi in aegro repetere solum licuit.

Ceterum quiscunque sis, qui vilem meum laborem lectione dignatus fueris, memor esto tenuium tironis virium, nec Hiponacteo subicias iudicio, quaeso.

§ 1. Jam apud antiquos occurrit Scriptores nomen Ischiadis, cujus sedem in venis esse cruralibus Hippocrates adserit. Eum, qui exceperunt plures praestantissimi in re medica viri, morbum per se observatum commemorant. Nihilominus tamen morbus recentioribus tantum temporibus curatius observatus et descriptus est, atque plures quoad morbi sedem ab invicem distinctae sunt species, quarum *nervosam*, de qua nobis sermo erit, primus exactissime descripsit *Dominicus Cotunnus*, unde etiam morbus *Ischiicus nervosa Cotunnii* appellatur.

§. 2. Praecipua, in quibus de Ischiade nervosa agitur, scripta sunt:

Dominici Cotunnii de Ischiade nervosa Commentarius. Neapoli 1761.

J. Petriini's neue Heilmethode des nervigten Hüftweh's. Aus dem englischen mit Anmerkungen von Spohr.

Horn's Archiv 11-ter Band 1 T. N. 4.

Joh. Nep. Rust's theoretisch — praktisches Handbuch der Chirurgie Berlin und Wien 1831.

§. 3. Ischias ab ἰσγίον coxa, dicitur ille dolor atrox, qui raro utramque. saepius alterutram e regione articuli cum femore occupat coxam, cum vel sine febris incedit, atque motum extremitatis adfectae multum impedit, claudumque aegrotantem efficit.

§. 4. Cum fixus dolor Ischiadis nervosae non unam, eandemque semper afficiat coxae partem; ideo duas hujus morbi cum *Cel. Cotunnio* statuimus species, quarum aliam *Ischiadem nervosam posticam*, aliam *Ischiadem nervosam anticam* rectius *Neuralgiam cruralem* compellabimus. Prior in affectione nervi ischiadici fundata dolorem fixum in coxa post majorem femoris trochanterem habet, qui sursum ad os sacrum, deorsum per exterius femoris latus ad poplitem usque extenditur, nec tamen in poplite dolor desinit, sed fere semper ad interiorem cruris partem descendens, hanc percurrendo ante malleolum exteriorem in dorsum pedis desinit. Accidit interdum, ut dolor in digitis pedis initium sumat, indeque ratione priori contraria sursum versus tendat. Dolor posterioris in inguine inchoat, per interiorem femoris, ac surae partem propagatur, atque pro passione nervi cruralis manifeste loquitur,

Praeter hanc essentialem dantur et aliae minus essentialis Pathologorum partitiones, quarum *acutam* et *chronicam* — *febrilem* et *afebrilem* — *idiopathicam* et *sympathicam*, — *simplicem* et *complicatam* et cet. hic nominasse sufficiat.

§. 5. Gravis coxae cum femore dolor, qui praecipuum morbi symptoma constituit, varia se manifestat ratione, atque jam lacerans, jam constringens, interdum vero pungens per aegros accusatur. In principio hic dolor est fere semper continuus, qui tardius evadit intermittens, aegro concedens inducias, qui

bus transactis, tanto cum majori revertitur saevitia. Sive autem continuus, sive intermittens sit dolor, id utrique proprium et constans est, ut vespertinis exacerbetur horis. Exacerbationes hae, quae saepe tantam partis affectae comitem habent convulsionem, ut aegri sensu crampi vexentur, tempore lecti et minimo motu femoris augmentur, et ut observare mihi licuit, per integram perdurant noctem. Qui huic atroci se associant dolori motus febriles, cum eo simul exacerbantur, remittunt, tandemque penitus emanent. Functio extremitatis statim in principio multum impeditur, quae morbo diutius durante in insuperabilem claudicationem cum semiparalysi et macie conjunctam abit. Nec raro quae patitur, brevior evadit extremitate sana.

§. 6. Non parvam fovet Ischias nervosa cum aliis adfectionibus morborum similitudinem, a quibus tamen longe facilius, quam a Coxalgia distinguitur: ideo non superfluum fore credo, si paucas, quibus Ischias nervosa a Coxalgia differt, notas hicce exposuero. Sunt autem:

1-o Ischias nervosa statim in principio post trochanterem majorem praecipue se manifestat, indeque secundum decursum nervi ischiadici deorsum versus extenditur; dum dolor Coxalgiae initio vel deest, vel in superiori et anteriori parte femoris perceptibilis est, simulque per consensum genu in articulo corripit. Dum autem morbus, quod rarum est, in dorso pedis initium sumit, et sursum versus extenditur; perse patet eum cum Coxalgia confundi non posse.

2-o Si vero in Ischiade nervosa antica dolor ut in Coxalgia in parte anteriori coxae sub ligamento Fallopii increascens sentiatur; tunc ceterae characteristicae Coxalgiae notae desunt.

3-o Denique Ischias nervosa statim in exordio functionem extremitatis morbosae notabiliter limitat, sed nec minimam in situ trochanteris majoris mutationem, nec differentiam inter longitudinem extremitatum inferiorum inducit. Quodsi tamen sub atrocitate doloris contracti spastice musculi capitulum femoris pro-

fundius in acetabulum imprimant, et per id extremitatem affectam breviorē reddant; tunc huic brevitati nunquam prolongatio, ut in Coxalgia accidere consuevit, praecedere solet.

§. 7. Expositis, quae ad morbi diagnosim pertinent momentis sequitur, ut paucis partem morbi *aetiologicam*, quae causarum cognitione et indagatione continetur pervestigemus.

Praedisponentes seu *proëgumenae* causae praeter eas, quae in genere evolutionem seriore[m] rheumatismi et arthritidis praeparant, atque in connata, vel tardius per mollem educationem acquisita teneritate et sensibilitate magna vel totius systematis cutanei, vel singularum hujus partium consistunt, paucae dantur. Ad has referri possunt aetas virilis, porro omnem illae noxae, quae plethoram abdominalem et inde saepe pendentem congestionem in vasis ischiadicis causant, denique vita sedentaria, si cum habitu laxo, tumido, vel diaeta nutriente — stimulante jungatur. *Cel. Cotunnus* laxitatem et amplitudinem externae vaginae nervi ischiadici ut unum disponens momentum assumit; de cujus asserti veritate, recentissime plurimi dubitant, et sibi magis arridere existimant alteram praeparantem causam, quam in magna arteriarum vaginam nervi ischiadici intrantium copia, idem auctor consistere ait.

Inter causas *excitantes* seu *procatarticas* praecipuum occupat locum impedita vel subito suppressa transpiratio cutis, quam saepissime causat varia ratione admissum refrigerium, et quidem vel totius corporis leviter transpirantis aut sudantis, vel singularum hujus partium nominatim partis ischiadicae vel sacralis. Hinc morbus potissimum vere et autumnis frigidis, tempestatis vicissitudinibus obnoxiiis, in hominibus frigida atque humida aedificia inhabitantibus, talesque regiones incolentibus, observatur. Affectus animi et potus inebriantes vasa et nervos excitantes, ad morbi evolutionem eatenus tantum conferunt, quatenus corpus pro frigoris actione receptivum reddunt. Nec raro morbum excitare valent externae violentiae, partes

qua nervus decurrit ischiadicus vel cruralis ferientes. Denique non immerito huc referuntur alii morbos corporis adfectus, quorum vel symptoma constituit, vel quibus disparentibus Ischias nervosa comparet. Sunt autem prae ceteris: Syphilis universalis, hemorrhoides, hysteriasis, inveterata pedis ulcera intempestive sanata, extremitatis inferioris chronica exanthemata externis retropulsa remediis.

De proxima Ischiadis nervosae causa praeclari in arte medica viri non consentiunt.

Cel. Cotunnus humores intra vaginam nervi ischiadici contentos, eoque vel a medulla spinali delatos, vel a propriis arteriis exhalatos assumit, qui majori copia praesentes nervum premendo, vel admodum acres irritando, dolorem provocant.

Alii, iique plurimi in inflammatione vaginae nervi ischiadici, et quae inde pendent sequelis proximam consistere causam asserunt. Hoc assertum meae etiam magis arridet opinioni, quo assumpto, aliorum etiam plurimae poterunt conciliari sententiae. Sive enim rheuma, sive arthritis, sive syphilis etc. morbo subsint; in his omnibus, qua causis morbi remotioribus tantum, inflammatio neurilematis latere poterit. Et quamvis haec inflammatio, qua talis, non semper se manifestis sistat symptomatibus: dolor tamen in principio continuus, exacerbationes nocturnae, harum tepore lecti augmentum, effectus Therapiae, denique investigationes anatomico — pathologicae, quibus secretio morbosa, induratio, emollitio in nervis patientibus subinde deteguntur, id evincere volunt. Subita quidem explosio doloris, hujus intermissiones et exacerbationes sine praegressis sufficientibus causis, sunt phaenomena, quae contrarium loquuntur. Sed quem fugiet statum inflammatorium encephali et medullae spinalis per intervalla temporis non cessare? quis inquam ignorabit dolorem prosopalgicum, ischiadico simillimum periodice non remittere, vel plane intermittere et ex integro silere?

§. 8. Quamvis magna saeviat morbus atrociam, arti medendi saepe multum sit rebellis, decursum praediligat chronicum; in genere tamen raro est lethalis. Quin imo, si statim in morbi exordio, debitum seligatur tractamen, quo non solum topica inflammatio, sed etiam praesens fors febris ita diriguntur, ut perfecta praecipue per sudorem locum habeat crisis, et decursus morbi chronicus, et omnes, quae inde oriri possent infaustae avertentur sequelae.

Morbo neglecto, male tractato, et diutius durante, non raro serosae vel lymphaticae in neurilemate obtinent exsudationes, quae morbosas concrectiones, incrassationes, aliasque hujus generis desorganisationes sequelas habent. Has excipiunt partis adfectae chronica debilitas semiparalysis cum tabe, brevitās et immedicabilis claudicatio. Evidentissime id comprobat casus per me observatus. Cum enim aeger longiori tempore extra Clinicum variis tractaretur remediis, nullumque experiretur levamen, nostrum exploravit auxilium. Examine cum eo instituto non aliam quam ambiguanı statuerē valuimus prognosim, quae serius minus laeto quam desideravimus, eventu comprobata est. Nam debellato feliciter omni dolore, remansit extremitatis adfectae brevitās, et inde pendens, sed vix observabilis claudicatio, quae nullis cedens remediis, et nunc perstat. Saepē majus adhuc periculum secum ferunt chronici illi morbi, qui supuratione et exulceratione articuli femoris inducuntur, et qui accedente febre hectica ut plurimum morte terminantur.

§. 9. Superest denique ut partem dissertationis *therapeuticam* exponamus, atque remedia, quae contra morbi atrociam in usu sunt breviter pertractemus. Certum et specificum pharmacum, quod omni in casu et sub quibuscunque circumstantiis morbum tollere valeret, hucdum non noscimus. Ex longioribus observationibus super remediis contra morbum adhibitis, hanc facere licuit conclusionem: in principio morbi magis antiphlogistica, tardius vero anodyna et talia

magis convenire remedia, quae turbas systematis nervosi componunt, atque functionem cutis erigunt et impellunt. Ideo dum morbum in evolutione constitutum, tractandum suscipimus, praeter vitae regimen stricte antiphlogisticum, in quo coordinando inprimis attentionem nostram ad conformationem lecti, qui non plumaceus, sed vel stramineus, vel crinalis sit, convertimus, sanguinis suscipimus evacuationem.

Haec evacuatio ut *Cel. Cotunnus* affirmat mire prodest, morbumque si non exstingvit, saltem multum levat, praesertim in illis, quibus suppressi fluxus hemorrhoidum aut catameniorum ischiadem prodixerunt nervosam. Dum autem laticis vitalis evacuationem suscipimus, topicam, quam cucurbitularum cruentarum vel hirudinum ope, eas pro re nata jam ad coronam ani, jam ad internam faciem femoris, jam denique circa centrum doloris applicando perficimus, universali praefereamus. Tentarunt quidem aliqui, inter quos etiam *Cel. Cotunnus*, universalem sanguinis missionem, secundo in affecto pede venam, et, ut affirmant bono cum eventu: inque hunc finem *C. Cotunnus*, popliteam, *Cel. Zechius* ramum venae ischiadicæ post malleolum exteriorem incidendam esse commendaverunt. Si tamen indicatio pro universali sanguinis evacuatione adesset, opinor idem par esse, ex quacunque majori pedis vena sanguis mittatur. Dum haec instituimus, simul si necessum est ad evacuantia recurrimus, praesentibusque signis turgescientiae sursum versus emeticum exhibemus, quod etiam, si opus, repetimus. Nulla pro emetico praesente indicatione clysteres exhibemus, iisque alvi evacuationem promovere intendimus; purgantia enim ut *Cel. Cotunnus* refert, raro sunt proficua. Si remediis hucdum recensitis morbum mitigare successit, proderit tunc infractiones lenes, nihilque stimuli habentes, secundum doloris tractum instituere: quas jam sola sicca manu, jam oleo olivarum, jam butyro ex cacao, jam denique aliis blandis remediis faciemus. *Cel. Rust* commendat inunctionem cum *Extr. Belladonnae* in antica quantitate aetheris sulfurici et aquae Laurocerasi cch. soluto. Qui fracta inflammatione, doloꝛ perse-

verat, quod non raro accidit, ab exaltata systematis nervosi sensibilitate dependere videtur. Atque ideo ad componendas systematis nervosi turbas in remediis narcoticis, praesertim si causa morbum excitans non latuerit, praesidium quaeremus. Cum autem a priori non valeamus definire, quodnam ex remediis mox enumerandis pro casu singulo individuali maxime congruum erit: ideo opportunum mihi videtur, jam unum, jam aliud adhibere, et effectus attente observare. In aegro, quem observandum habui, extra Clinicum opio tractato, Extr. Stramonii adhibere tentavimus; quod cum effectus desideratos non praestitisset, iterum ad Opium redivimus, ejusque praeparatum Acetatem quippe morphii in pulvere exhibuimus, quod alternatim cum Tinctura Quajaci ammoniacali, quos optavimus exseruit effectus, omnesque sensim dispulit dolores. Praeter haec et alia, ut: Extr. Hyoscyami nigri, Extr. Cicutae, Extr. Belladonnae et cet. hujus generis, adhiberi possunt. — Si morbus remediis, quae enumeravi, cum omni cautela adhibitis non cederet, suspicioque luis universalis, quod corpus antehac hoc morbo tenebatur, oriretur, prudentem tunc hydrargyri usum instituemus, morbumque non raro sanabimus.

Dum pharmaca haec interne exhibemus, externorum remediorum usum, quae saepe prae internis efficacia sua se commendant non negligemus, inprimis si per morbos cutis evanidos Ischias nervosa provocata fuerit. Inter haec remedia sibi maximam meruerunt laudem epispastica, e quibus Empl. Cantharidum prae ceteris in usu est post Cel. *Cotunnium*. Ut bonum producat effectum jubet hic Auctor Empl. hoc, quod sex digitos longum, et quatuor latum sit, capiti tibulae applicare ita, ut medium Emplastrum totum tibulae caput occupet, extremaque Emplastrum alterum ad poplitem ascendat, alterum descendat ad tibiam. Effectus tamen vesicantis a loco applicationis inconditionate non dependet; applicitum enim erat vesicans immediate pone trochanterem majorem, per alios iterum adpositum secundum decursum nervi ischiadici, et ut refertur cum felici et exoptato successu,

qui angebatur, si provocata per id ulcera, aliquamdiu in suppuratione detinebantur. Praeter hoc, licebit pro re nata et alia tentare epispastica, atque si nullum desideratum praestaret effectum, dirusque ultro saevire pergeret morbus, efficaciora caustica in auxilium juvabit vocare. Haec ob causam vel ferro candenti, vel Moxa cutim aduremus: prius jam olim in usu erat fiebatque adustio secundum *Altimarum* sub genu, secundum *Zecchium* vero paulo subtus genu. Inter remedia externa commemorari adhuc merentur fonticuli, quos *Adrianus Spigelius* inter principia muscoli gastrocnemii faciendos commendavit, quodve *Scultetus* bono cum eventu in se ipso se tentasse perhibet. Nos praeter Emplastrum Cantharidum et Moxam extra Clinicum adhibita Acupuncturam in aegro tentavimus, atque emendationem omnino sed non perdurantem conspeximus.

Praeter hucdum recensita, atque in plurimis casibus bono cum eventu adhibita remedia, laudantur et alia felici experientia probata. Magni observatores Galli Oleum Terebinthinae magnis efferunt encomiis, quod cum vitello ovi subactum et cum Sirupo Menthae atque Sirupo flor. Aur. anatica quantitate sumtis, commixtum aegris exhibent. In scripto „*Recepte und Curarten der besten Aerzte aller Zeiten vol. 3. pag. 148.*“ perhibente *Cel. Richtero* summis effertur laudibus Emplastrum ex Pice, Opio, et Camphora compositum, quod secundum decursum doloris apponitur atque per 5 usque 6. septimanas adpositum relinquitur, donec nempe sponte decidat.

Evanido paulatim dolore, cruris macies cum torpore remanet, qui secundum *Cotunnium* feliciter tollitur frictionibus, secundum decursum nervi Ischiadici manibus pannis asperis obvolutis, peragendis, plantam scutica coriacea dolando, simulque ligni Guajaci Decoctum vesperi exhibendo. Nec tamen sufficit id semel bisque fecisse, verum methodus haec ut ipse auctor refert, diu est continuanda. Nos contra maciem et torporem hunc interne Tincturam Quajaci ammoniacalem continuavimus. externe vero praeter infrictiones cum

oleo, et balnea animalia adhibuimus, sicque sine potiti sumus. Alia fortiter excitantia tumultarie vix adhibenda esse crederem, ne dolor vix depulsus, novitus revocetur. — Si aliud quodpiam malum dolor abactus relinqueret, illud naturae suae convenienter juxta leges artis tractandum erit.

Haec ego, quae potui feci, si facere plura
Non potuit juvenis pectus; peto parcite grati.



T h e s e s.

1) Proxima Ischiadis nervosae causa in inflammatione vaginae nervi ischiadici sita est.

2) Necessitas mater medicinae.

3) Ut post sumptum cibum instante coctione, ita imminentibus mensibus levem febrem oriri credo.

4) Causam disponentem erysipelatis neonatorum in perturbata functione hepatis et systematis cholopoëtici consistere existimo.

5) Convalescentia a morbo et a sanitate differt.

6) Vis naturae sibi relicta non omnes morbos feliciter tollit; unde elucet dignitas et utilitas scientiae medicae.

7) Veri hermaphroditi non dantur.

8) Atresia pupillae semper ophthalmiae praegressae originem debet.

9) Diaeta debite adornata summum therapiae est praesidium.

10) Supressio menstruorum morbo durante non semper ut morbosa spectanda.

12) In faeminis diathesis inflammatoria frequentior ac in viris.

12) Musica medicina animae. (Huffeland).



[Illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to the high contrast and noise of the scan.]